



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. II. Quomodo finiatur officium Procuratoris ad negotia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

revocare non potest substitutum, postquam is mandatum suscepit. Præterquam, si Procurator, etiam revocandi potestatem à Domino, acceperit. Tametsi aliud dicendum sit, de delegato Sedis Apostolica; quippe, qui causam à subdelegato, arbitrato suo revocare potest, si res adhuc integra sit, c. *quamvis*, 6. de offic. delegati, in 6. ubi habentur sequentia: *si delegatus Papa causam totam alteri subdelegarit, ab eodem revocare, seu jurisdictionem reassumere potest, si res integra sit, seu iudicium nondum ceptum, per partis citationem*: cujus ratio est, quia iudicium non censetur efficaciter transiisse in subdelegatum, nisi cum eam exercere cœpit.

2666. Discrimen autem inter Procuratorem, & delegatum Sedis Apostolica videtur in eo esse, quod hic potestatem subdelegandi habeat à lege; at Procurator ad lites facultatem substituendi, ante litis contestationem, habeat non à lege, sed ab homine; concessa autem ab homine facultate substituendi, non eo ipso concessa intelligitur facultas revocandi. Deinde, etiam inter Ordinarium, & Delegatum Judicem, discrimen est; quod Ordinarius causam alteri delegatam, etiam postquam cœpta, imò lis contestata est, revocare, aut reassumere valeat, per L. 58. ff. de Judicijs, ibi: *Judicium solvitur vetante eo, qui iudicare jusserat*: si autem delegatus vices suas subdelegavit; censetur functus officio suo, & jurisdictione privatus, postquam alter uti cœpit.

§. II.

Quomodo finiatur officium Procuratoris ad negotia?

2667. **N**ot. differre Procuratorem, à Negotiorum gestore, & Nuntio. Procurator enim agit alterius mandato; at negotiorum gestor juxta Molin. D. 553. est ille, qui negotium alterius absque mandato ipsius tam formali, quam virtuali utiliter agit. Nam exigente id, naturâ rei & communi bono, ne res absentium, & minorum, perirent, decretum est, ut utrinque nasceretur obligatio, nempe ex parte gestoris; & illius, cujus negotium ageretur. Ex hoc colliges inter Mandatariû, Procuratorem, & negotiorû gestorê esse discrimen.

Quamvis enim Mandatarius, & Procurator, in eo conveniant, quod uterque aliena negotia, mandato sibi à domino factò, gerenda gratuite suscipiat, l. 3. §. *negotia*, ff. de negot. gest. tamen (juxta Molin tom. 2. D. 551.) Procurator est veluti pars subiecta mandatario, utpote latius patenti. Procurator enim presè, ac propriè dicitur, qui instrumentum à mandante accipit ad aliquid, loco, & nomine ipsius in iudicio, & extra iudicium agendum. Nuntius autem est, qui vicem gerit Epistolæ, & censetur quasi organum, & vox Domini mittentis, Nuntius communis, ut habetur ex L. *quasi organum*. 2. C. de sportul. & Auth. de iudic. §. *de unoquoque, est viator, seu præco*; seu Nuntiator, de quo est tit. 64. C. lib. 12. dicitur Nuntius, qui specialiter certi negotij causâ ad aliquem absentem destinatur, absentibusque ministerium præbet; quibus positis:

2668. Resp. Procuratorem ad negotia, re integra, liberè revocari posse à Domino (sic Wesenbecius h. t. in ff. nu. 11.) si constitutus est indistinctè ad negotia, revocationem effectum non habere, priusquam illi intimata sit, L. *si mandassem*, 15. ff. mandati; & ideo valere ab illo acta, nondum habitâ notitiâ revocationis; excepto casu, quo constitutus esset ad contrahendum matrimonium; c. *fin. §. sane*, h. t. vel ad acceptandum beneficium Ecclesiasticum; Pirhing h. t. nu. 104. §. *excipitur*, 3. si autem constitutus sit ad contrahendum, aut quasi contrahendum cum certa persona, revocationem non intimatam Procuratori, & parti, vel saltem Judici, non obesse actis à Procuratore; secus est, si Procurator sciens revocationem, ignorante illam parte, nihilominus contrahat, c. *Mandato*, 13. h. t. & ex hoc colligi potest, qualiter officium Procuratoris finiatur revocatione. Præter hæc not. idem Procuratoris officium finiri; 1. mutuo consensu mandantis, & mandatarij; 2. finitâ instantiâ Judicis, latâ scilicet sententiâ definitivâ; quia Procurator non cogitur persequi iudicium appellationis, L. *invitus*, 17. h. t. Tertio per mortem constituentis re integra. 4. morte ipsius Procuratoris, sive sit, sive non sit res integra.